

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Gloria mala siue uana o  
cum fonte primo

Non bone sed pax hominibus bone uoluntatis,  
uoluntatis inique est, qui nequaquam pace contentus,  
superbo oculo et insaciabili corde quietus hanelat ad gloriam Dei,  
nec pacem inde retinens, nec gloriam apprehendens.

Nec laus calami est laudabilis scriptura,  
nec gloria lingue aut labiorum sermo bonus.

Bernardus super Cantica.

Ita quaeso, ita sit: GLORIA IN EXCELSIS DEO,  
ET IN TERRA PAX HOMINIBUS BONAE VOLUNTATIS (Lc. 2, 14).  
At vero non bonae,  
sed plane iniquae voluntatis est, qui nequaquam pace contentus,  
superbo oculo et insatiabili corde inquietus anhelat ad gloriam Dei,  
nec pacem perinde retinens, nec gloriam apprehendens.  
Quis credit parieta, si se dicat parturire radium quem suscipit per fenestram?  
Aut si glorientur nubes quod imbres genuerint, quis non irrideat?  
Mihi liquido constat nec de canalibus oriri rivos aquarum,  
nec de labiis vel dentibus verba prudentiae,  
etsi sensus ultra corporeus non attingat.  
Si qua sane in sanctis digna laude vel admiratione intueor,  
clara luce veritatis discutiens,  
profecto reperio laudabilem sive mirabilem alium apparere,  
atque alium esse, et laudo Deum in sanctis eius.  
Sive sit Elisaeus, sive ille magnus Elias, mortuorum utique suscitatores,  
ipsi quidem suo non imperio,  
sed ministerio foris exhibent nova nobis et insueta;  
Deus vero in ipsis manens, ipse facit opera.  
Invisibilis et inaccessibilis in se, in suis spectabilis atque mirabilis est,  
et solus mirabilis, qui facit miracula solus.  
Nec laus calami laudabilis est pictura sive scriptura,  
nec gloria linguae aut labiorum sermo bonus.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones super Cantica canticorum*, 13.5-6  
(SBO 1, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.72, ll.7-22).